

БИБЛИОТЕРА
И. И. СЕМЕНЬСКОГО.

CHRESTOMATHIA POETICA

SIVE

ECLOGAE

POETARUM LATINORUM

IN USUM STUDIOSAE

JUVENTUTIS ROSSICAE.

EX DECRETO

CAESAREAE UNIVERSITATIS
CHARCOVIANAE.

2800

Curavit, notulisque illustravit

JACOBUS NICOLAUS BELIN DE BALLU
Litterarum Graecarum et Gallicarum
Professor P. O.



PARS I.

CHARCOVIAE,

TYPIS UNIVERSITATIS, 1809.

БИБЛИОТЕКА НАУКИ
БИБЛИОТЕКА ХАУ

PROOEMIUM.

Cum perrara sint in *Rossid* *Latinorum* scriptorum exemplaria, operae pretium duximus, si, *Chrestomathiam* poeticam, id est, selectissima *Romanorum* poetarum loca, *Rossicae* *Juventuti* praeberemus; ut facilius linguae latinae studio incumberet. Ea nobis cura fuit in seligendis locis, cujusque autoris delibare flores, et studiosae *juventi* imitandos proponere. Ne quis miretur quòd in *Comicae* scenae autores paulo prolixiores fuimus; hoc nobis fuit consilium ut familiaris sermonis latini exquisitissimam normam *juventus* haberet; cujus sermonis usus in *Rossid* perutilis, immo saepe necessarius est, praesertim cum advenis has oras frequentantibus nec linguam *Rossicam* gnaris. Animadversiunculas in omnes hujus collectionis autores adieciimus, praecipuè in *Plauti* excerpta, quia multa sunt apud istum poetam veterem et scenae *Romanae* patrem, quae interpretatione indigeant, non solum propter vetustiores linguae formas, sed et ob jocos et facetias quas a *Graecis* mutuatus est, et quae vix sine *Graecae* linguae cognitione intelligi possunt. *Terentii* integram comoediam

Phormionem protulimus, ut juvenes facilius discant quae sit veterum ratio in scribendâ Comaediâ. Caeterùm accuratissimas secuti sumus editiones, scilicet Bipontinas utriusque Comici, Virgilii Heyniam, Horatii Mitscherlichianam, Lucretii Eichstaedianam, Juvenalis Rupertianam. Accentus reponi curavimus, qui in libris classicis non sine magno tyronum incommodo obmittuntur. Nihil denique obmisimus quod ad juventutis studiosae labores adjuvandos utile visum sit. Nostro qualicunque labore, Lector, fruire, ac studio favē.

EX

M. ACCII PLAUTI
AMPHITRUONE.

DRAMATIS PERSONÆ.

MERCURIUS.	NAUCRATES.
AMPHITRUO.	BROMIA, <i>Ancilla Amphitruonis</i>
SOSIA, <i>servus Amphitruonis.</i>	

ARGUMENTUM.

In faciem versus Amphitruonis Jupiter,
(Se reducem simulat, hostibus victis, domum,
Homo inter homines gestiens viderier,
Civem agit in terris, et sibi ludos parat)
Dum bellum Amphitruo cum Telebois gerit.
Mercurius formam Sosiae servi (induit)
Absentis. Ubi adsunt veri Amphitruo et Sosia;
Uterque luduntur dolis mirum in modum.
Hinc permiscetur tota jurgiis domus.
10. Donec cum tonitru voce missâ ex aethere,
(Joci auctorem) se Jupiter confessus est.

EX PROLOGO.

MERCURIUS. v. 94.

Hanc fabulam hic Jupiter hodie ipse aget:
Et ego unâ cum illo. Nunc vos animam advortite,